

**De abcessu [sic] linguae : dissertatio anatomico-chirurgicae, quam, Deo juvante, & praeside M. Theobaldo-Stephano Lauverjat ... / tueri conabitur Justus Bodin, dissertationis auctor.**

### **Contributors**

Bodin, Justus.  
Lauverjat, Theodorus Stephanus.  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

[Paris] : Ex-typis Clousier, 1788.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/a5bjp57w>

### **Provider**

Royal College of Surgeons

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

10  
55.

D E  
ABCESSU LINGUÆ,  
DISSERTATIO  
ANATOMICO-CHIRURGICA.

QUAM, Deo juvante, & præsiede M. THEOBALDO-STEPHANO LAUVERJAT, Artium & Chirurgiæ Magistro, Regiæ Chirurgorum Academiæ Parisiensis, nec non Academiæ Universitatisque Vlnensis Socio, &c. tueri conabitur JUSTUS BODIN Novicastræus, Dioecesis Rothomagensis, in celeberrimâ Cadomensis Universitate Doctör Medicus, Dissertationis auctör.

Die Martis 30â mensis Decembris, anno R. S. H. 1788, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.

PARISIIS,  
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.  
PRO ACTU PUBLICO,  
ET MAGISTERII LAUREA.



Ex-Typis CLOUSIER, Regis & Regii Chirurgiæ Collegii, Typographi,  
viâ Sorbonæ.

---

M. DCC. LXXXVIII.









# DISSERTATIO

## ANATOMICO-CHIRURGICA.

### *De abcessu linguæ.*

I.

**L**AXIORI nexu contextæ partes, facilem humoribus præbent aditum, non mirum igitur, si glandulæ & partes in quibus textus-cellularis fit uberior, stasibus criticis, ac varii generis tumoribus fiunt obnoxia; mirum è contrà, si densam fibrarum aggeriem, raro cellulari textu coadunatam purulenti latices obsident! Sit in exemplum abcessus linguæ de quo dissertaturi. Organi structuram liceat priùs paucis adumbrare.

A



## *E X A N A T O M I A.*

Præcipuum gustus & loquelæ organum, moles est oblonga, lata & crassa in ore sita, quæ lingua nuncupatur. In basim corpus, & apicem, pro more dividitur; basis posteriorem, corpus mediam partem, anteriorem apex occupat. Ab apice ad basim, linea alba deprehenditur, ab Hippocrate, mediana, undè dextrum latus, & sinistrum.

Si quæris connexiones, laryngi, pharyngi, epiglotidi, offi hyoides, tonsillis, & gencivis lingua connectitur; inferiùs demùm membranoso ligamento coercetur.

Omnigenis lingua gaudet motibus; equidem si genio-glosses imperas, antrorsùm adducitur, si hyo-glosses retrorsùm fugit, si stilo-glosses, versùs alterutrum latus docilis defertur: horumce musculorum actione simultaneâ, in omnem sensum flectitur. Nec silentio prætermittendum foramen cœcum, pro salivali ductu habitum, quod quidem circà basim, & partem linguæ superiorem occurrit.

Vasis non defraudatur lingua, ejus substantiam irrorantibus à carotidibus arteriæ, venæ à jugularibus; à ramo quintæ conjugationis, & nono pari nervi oriuntur, quibus octavi paris fibræ multiplices confociantur.

Binæ glandulæ à situ sub linguales annotandæ sunt, qua-



rum ope, juvanteque utrâque parotidi, & maxillari glandulâ, fit in ore masticationis tempore, salivæ proventus uberior.

Sunt & adhuc papillæ nervæ per superficiem linguæ sparsim diffeminatæ quarum triplex genus. Quædam conicæ, vel pyramidales, aliæ spongiosæ aut fungulosæ, alteræ demum, quasi compressæ, & complanatæ deprehenduntur. Hæc varia, vix in homine, in bovillis linguis satis patent conspicua. Comuni partium lingua involvitur tegumento, quod quidem si pauca phisicos, clinicos edocet plurima.

È prælibatis, usus linguæ annotavimus primarios, masticationi, deglutitioni, suctioni quoque inservit lingua, & tanquàm gustus & loquelæ organum habenda est præcipuum (1).

(1) Non desunt observationes quæ testantur homines verba protulisse, etsi linguâ orbarentur. Nostro ævo, plurimas apud mulieres similia observanda venerunt phænomena! Hinc sanè istud dictærum:

*Non mirum elinguis mulier quod verba loquatur,  
Mirum cum linguâ, quod taceat mulier!*

Vid. Portal, Anatom. Tom. II, pag. 288.

Aurran, Thesis pro Doctoratu Argentinæ, anno 1766.

Attamen talia exempla nostram Thesim minimè averfantur, & semper inconcussa manet nostra propositio. Jam brevior in immensum cresceret pagina, si omnia quæ ad linguæ morbos attinent, penitus evolverem, quàm plurimos eludimus, tanquàm in Thesi à Magistro LASSUS, scholarum moderatore perpetuo, Professore regio, dilucidè conscriptos, sub hoc titulo *De morbis lingua*, anno 1765.



## È C H I R U R G I A.

Si quid corpori noxium intùs subrepserit, illud natura foràs eliminare conatur : modò per varia colatoria ejicit, modò ad externas aut ignobiliores partes efflagitat. Hinc tumorum ìlias, fede, indole, & exitu insignita.

Omnis tumor humoralis, unum ex insequentibus patitur exitum, vel resolutione absolvitur, vel digesta materies in suppurationem abit, interdùm in scyrrum facessit, ni sphacele, longè pejùs corripitur. Multiplices tumorum eventus vetant præscripti theseos limites evolvere, de suppurato tantùm dicere fert animus, tanquàm ad propositum spectans.

### I V.

Ubi plùs in parte quàm egeruntur, intromittuntur fluidi, vasa turgent, tota compages luxuriat, intumescit. Insuper, febris ardet, calor adaugetur, in molem attolitur tumor, rubro colore perfunditur, æstuat ager, lancinanti dolore premitur, nascitur pus. Stagnantibus attritu solutis, magis ac magis prominet tumor, albescit, prementi obsequitur digito, pus confectum habeto.

Non perperàm igitur ab Hippocrate definitur abcessus, *recessus materiae nocivæ in quemdam locum*. Ad mentem præsto adsit pus reclusum, foràs exulare videtur, nescis quas struit



insidias, fugam time, tutam præstat opem Chirurgia, abscindatur tumor, puris latex exiliet, solvetur morbus.

# V.

Ex ipsâmet antopsiâ anatomicâ, si modò indulgeas, deducenda est ratio, cur abcessus cunctis partibus quasi proprii, linguæ hùc usquè fuerint ignoti ( sit saltem pro ratione silentium auctorum). Equidem fit obviàm priùs cellularis textus extraneis humoribus, propter exilitatem impervius: accedit insuper, linguæ mobilitas insignis, quæ eam à pravâ liquorum scaturigine vindicat. Potest attamen intumescere lingua, quandoquè abscedere; altiùs ne perscruteris, in abstrusis involvitur causa, exemplo præstat propositum absolvere.

Menfe Novembris anni 1781, Dominus de B \* \* \* Eques Ordinis Sancto - Ludovico dicati, consilium à me petivit ob anguinam, cujus extensa sedes linguam invadebat. Misso è venis sanguine, quantum satis, juvantibus diætâ, & antiphlogisticis, in usum venerunt, hirudines, epispastica, pediluvia, fumigationes, &c. Attamen magis ac magis intumuit lingua, & ut ità dicam cylindrica facta est. Os diductum stabat hians, glutinoso fonte irrigabatur. Loquelâ penitùs abolitâ, necessaria vitæ, innuebat æger. Mox liquidorum deglutitio jam jam difficillima, impossibilis evenit; huic per biduum juscula in œsophagum inserui. Efflagitatus prostrabat æger, mors instabat proxima, cùm subitò, die, ab invasione morbi, quintâ decimâ, in apicem corpus linguæ superiùs assurgens, abcessum ominaretur. Tumorem incidî



quamprimùm , pus exilit laudabile , & paucos intrà dies , factâ pro more medicatione , tenui victûs ratione , convaluit æger.

Mirum fortasse videri est indagatori anxio , quòd subrepto modo , aut tanquàm parvi momenti , in isto casu recensâ fuerit faucium inflammatio ; sed annotare expedit , ægrum de quo agitur , tonsillis , propter anginas multiplices , scyrrosis habitis , jam pluribus ab annis à celeberrimo LECAT fuisse liberatum. Adeoque , si ex istis , quod fas est , istiusmet curationis successus facilior evenerit , insigniorem hunc patronum , peritissimum artis Magistrum , tot & tantis dotibus commendandum , jure & meritò celebret grata ALUMNI memoria.

## F I N I S.